



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 27. Julii II. Pontificis Bulla adversus Venetos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI postea Leicenses præfidiarii totam regio-
A.C. 1509. nem usque ad Bergomensis urbis portas
 excursionibus suis infestabant; Laudenses vero in Cremonenses agros popula-
 bundi excurrebant, cum interea Placentini pontium navalium subsidio Padum
 trajicerent, cunctaque flamma, ferroque devastarent. Denique etiam Marchio
 Mantuanus cum centum cataphractis
Casal-Major Casale-Majus occupaverat. Ceterum
 Calvimontius Dux veritus, ne Venetorum exercitus proxime imminens junctis
 viribus subito eum opprimeret, rupta omni
 mora Abduam rursus pertransivit, ipsum
 Regem Mediolani præstolaturus, qui etiam
 ineunte Mense Majo ibidem advenit, ex lapsu equi, qui crus ejus attriverat,
 graviter faucius.

§. XXVII.

Julii II. Pontificis Bulla adversus Venetos.

Raynald. ib. n. 6. & 13. Spond. hoc ann. n. 1. Quamprimum Julius II. Gallos Venetis bellum intulisse compererat, & ipse quoque sacris ees armis oppugnare cœpit accerrimo in illos edicto, quod *monitorium* appellabat, ad normam Bullæ divulgato, in quo injuriis, quas potestati Ecclesiasticæ intulissent, fusius enumeratis, de aliis etiam eorum violentiis graviter querebatur, illosque admonebat,
 ut

ut intra viginti quatuor dies damna Sedi ^{Sæcul. XVI.} Apostolicæ illata repararent, urbesque ^{A. C. 1509.} occupatas unacum vectigalibus ac redditibus perceptis restituerent: si vero renuerent, non modo eorum urbem, verum etiam cetera quæcunque Venetæ ditionis loca interdicto subjectum iri minabatur. Insuper quibuslibet cuncta eorum bona occupandi, subditosque in servitutem abducendi potestatem concessit, simulque sub iisdem pœnis prohibuit, ne quis eis opem, aut tectum etiam præberet. Ast hæc fulmina, cum ex vano commentitiæ auctoritatis prætextu procederent, non nisi aerem feriebant (*).

§. XXVIII.

(*) Talia ex calamo cujusdam Scriptoris Catholici profluxisse nemo non mirabitur; ergone commentitia in Pontifice est alienorum usurpatores interdicto subjiciendi potestas, quæ absque controversia quibuscunque etiam Episcopis asseritur; ergo tempore Apostolorum chimerica erat auctoritas, qua Ananias, & Saphira ob retenta, quæ Apostolorum pedibus subjicere tenebantur, fortunæ bona ipsa etiam morte pledebantur; num leviori adhuc pœna ad emendationem intentata ea, quæ Ecclesiastici juris sunt, usurpantes terrere, summi Pontificis potestatem excedit? nonne ipse Continuator, si forte Julius a Venetis post Alexandri VI. obi-